



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



96.



Συμ Θεῶ

DISPUTATIONUM
ETHICARUM.

II.

De

SUMMO BONO.

*In Inclytā VVittebergensi Academia
proposita*

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO
Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE

MARTINO GRUNDMANNO
Leobschuciensi Silesio.

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



V I R O

*Nobilissimo, Excellentissimo, Doctissimo, multaq;
experientiâ clarissimo,*

M. ABRAHAMO HAUNOLDO.

*l. & Medic. Doctori: Illustrissimi Principis ac Domini, Dn.
AN: GEORGI, March. Brandenburg. &c. nec non florentis, Re-
rumpubl. Carnovienfis & Leobschucienfis Phy-
fico ordinario celeberrimo,*

Ut &

*Amplissimo, Consultissimo, eruditione, prudentia & au-
toritate praestantissimo Viro,*

M. BARTHOLEMÆO JACOBI, *Inclytæ Görlicenf.
Reipubl. Consuli ut meritissimo ita dignissimo.*

NEC NON

*Reverenda dignitate ornatissimo, excellenti doctri-
na & virtute cumulatisimo,*

Dn. M. TOBIÆ ALEUTNERO, *P.C. & Ecclesiæ Leob-
schucienfis Diacono fidelissimo, vigilantissimo.*

Itemq;

Honesto ac vitæ integritate conspicuo Viro,

Dn. MARTINO GRUNDMANNO, *Civi Leobschu-
ciensium laudatissimo.*

*Dominis; Mæcenatibus, Patronis ac fautoribus suis sum-
moperè colendis, Parenti aternâ pietate
suspicando.*

Ethicum hoc Exercitium, observantiæ,

*gratitudinis, honoris & amoris testificandi gratia, in fau-
stum felicitatis anni auspiciis, officiosè & submissè*

offert

&

dedicat

Respondens.



DISPUTATIO II.

De

SUMMO BONO.

I.

Eυδαιμονίη, seu summum bonum est ultimus finis, ad quem unicum omnes actiones humanae, tanquam scopum, ac terminum ultimum diriguntur.

I.



Ationem ordinis precedentia reddiderunt: quem observantes nunc à fine auspicamur, quia par est, ut ultimum in executione primum sit non intentione solum, sed & consideratione; sic enim ad media invenienda, & applicanda tantò evadimus promptiores.

II. Et ut natura; sic quoque ars & scientia, imò quaecunque facultas bonum quoddam ut finem propositum habet, uti Ethicas suas institutiones auspicatur Philosophus: ita non deterior Ethica ad finem quendam ultimum, in quo acquiescat, contendit. Ubi tamen quaestio nobis non est de bono ab hac, vel illa actione speciatim intento, sed generali, sive communi: neq; de bono *Φαινομένω*, sed *ἀληθινῶ*: neq; de bono *κατὰ*, quod aliqua tantum sui parte, aut certo respectu bonum est; alio autem non bonum; sed absolutè, seu summè bono; eo tamen

1. non alterius, sed hujus vitæ. 2. non *ἄσιν*, seu *ἀπλῶς*, sed *ἡμῶν* bono *Arist. 1. Mag. Mor. cap. 1.* nec deniq; de tali, quod hic, vel ille sibi summum statuit; verum, quod aut à plerisque sum-

A 2

num

sum judicatur, vel certè ab omnibus tale haberi, & agnosci de-
bet. In cujus investigatione ita procedemus, ut duas expendamus
quæstiones, quarum una quid sit, altera quænam sit *εὐδαι-
μονία*, investigemus.

III. Et quidem quò ad priorem, *τάγαθὸν* generatim defi-
nit *Arist. 1. Nicom. 1. ἅπαντα ἐφίεται*, est itaque τὸ ἀριστὸν ἀγαθὸν,
quod omnia maximè, summè, ultimò expetunt: cumq; finium,
sive bonorum certi sint gradus, & aliqua expetantur κατ' αὐτὰ,
aliqua διὰ τῶν αὐτῶν. *Eth. 4.* ideò, ne appetitus boni cadat irri-
tus, aut in infinitum protendatur; oportet, tandem ad finem de-
veniatur eum, qui sit propter se, & nihil propter ipsum, atq; hic
est summum bonum, *εὐδαιμονία*, & κατ' ἐξοχὴν dictum ἀγα-
θόν. *Vid. Arist. 1. Eth. 1. Coll. Conimbr. disp. Eth. 2. quest. 3. Piccolom. grad.
9. cap. 4. seq.*

IV. Cæterùm; ut plenius natura ipsius declaretur, octo *εὐ-
δαιμονίας προσκείμενα* ab Aristotele hinc inde notata brevibus
expendemus. 1. *Τάγαθὸν οἰκείον. 1. Eth. 3.* Bonum proprium, &
domesticum appellatur partim ex eo, quòd, qui eius est parti-
ceps, non ab alijs petere aut expectare cogatur, sed sibi habeat,
eoq; pro suo lubitu utatur; fruatur: partim, quòd ipsum nullum
subjectum æquè afficiat, & perficiat, atq; id cui originem suam
fert acceptum. 2. *Δυσάφαιρον: difficulter mobile. 1. Eth. 3.*
Naturà bonum est constans, unde virum beatum *τετράγωνον*,
hoc est, ubiq; firmiter consistentem efficit. *1. Eth. 11.* Estq; signum
boni evidens, quò quid constantius, eò melius, ac præstantius:
quò vicissim fugacius, tantò minoris æstimandum. Summum
ergò bonum constantissimum, ideoq; *δυσάφαιρον*

V. 3. *Κοινωνικόν.* Omne bonum sui communicativum. *Ἀγα-
πητὸν μὲν γὰρ ἐνὶ μόνῳ, καλλίων δὲ καὶ θεϊότερον ἔθνεϊ, καὶ πόλεσιν.*
1. Eth. 1. quantò igitur bonum latius extenditur, tantò melius: un-
de collectio facilis: summum bonum latissimè patere, nec intrà
suum delitescere subjectum; quin potius ad alia quoq; foràs pro-
dire. 4. *αὐταρκές. 1. Eth. 5.* seipso contentum, non quærens ali-
ud extra se bonum, tanquam perficiens, quamvis alijs ut mini-
strantibus, & organicis opus habeat. Est itaq; *αὐτάρκεια* certa
perfectionis nota; dum enim seipso quid contentum, sibi est o-
mnia,

omnia, perfectum arguitur. Summum proinde bonum, quippe
 τελειότατον, oportet, ut sit αὐταρκέστατον; utpote ἡ ἀγαθότατος, ἡ ἀγαθότατος, ἡ ἀγαθότατος,
 μηδενὸς ἐπιπερσδεόμεθα. 1. Mag. Mor. 2. 5. Δι' αὐτὴν ἀγαπήν, Eth.
 3. καθ' αὐτὸ διωκτὴν. cap. 5. propter se expetibile. Ordo bonorum
 flagitat, ut aliud sit πάντη, καὶ πάντως αἰρετόν. aliud ἄλλο, 1. Mag. Mor.
 2. Quia enim bonum quid κατὰ τι, & propter aliud, minus perfe-
 ctum est: & quò magis sui, ac minus alterius causâ appetitur, eò
 perfectius censetur, atq; melius. Evidens hinc; summum bonum
 propter se expeti: quia enim optimū, ideò minimè alterius, ma-
 ximè sui causâ quæritur. Et quicquid propter aliud desidera-
 mus, propter aliud bonum est: contradictorium autem, summū
 esse bonum, & aliud superius, hoc est, majus & eligibilius bonū
 agnoscere. Rectè igitur Aristot. 1. Eth. 5. τὴν εὐδαιμονίαν αἰρέμεθα
 αἰεὶ δι' αὐτὴν, καὶ ἂν ποτε δι' ἄλλο. Vide 1. Eud. 8.

VI. 6. πρακτὸν, καὶ κτητὸν ἀνθρώπῳ. 1. Eth. 4. quod hominis
 studio, & industriâ possit comparari. Omne quidem bonum à
 DEO; hic tamen nil sine magno labore dedit mortalibus; ideò
 μοχθεῖν ἀνάγκη τὴν θέλοντας εὐτυχεῖν; etiam Ethnicorum homi-
 num iudicio. Nisi enim labore, & industria bonum compara-
 retur, sed cæco fortunæ imperu in hunc, vel illum caderet, nil
 foret prærogativæ industrio, præ otioso: bono præ malo: nulla
 recompensatio laborum, quam tamen æquissimam iudicabunt
 omnes. Laboribus ergò comparatur, & quidem solis laboribus,
 non qui cum brutis homini communes, sed qui huic proprij: a-
 lias namq; in bestias eadem caderet felicitas; quo nihil indigni-
 us. Neq; tamen servilibus, & coactis, sed spontaneis &c. de
 quo suo loco. 7. Non sit dormientis, ociosi, calamitosi. Aristo-
 teles 1. Ethic. 3. hanc assignavit εὐδαιμονίας proprietatem: δοκεῖ
 γὰρ: (inquiens) ἐνδέχεσθαι, καὶ καθέυδειν ἔχοντα τὴν ἀρετὴν
 ἢ ἀπρακτὴν διὰ βίην, καὶ πρὸς τὴν κακοπαθεῖν, καὶ ἀτυχεῖν ἡ
 μέγιστον. Τὸν δὲ ἔτι ζῶντα ἔδειξεν εὐδαιμονίσειν. Non dormientis;
 hic enim plantæ vitam vivit. 1. Eudem. 5. multumque conjun-
 ctum habet imperfectionis: est enim mortis quædam imago,
 omnium facultatum, tam intellectualium, quàm animalium
 quiete non leviter eam representans: Quatenus
 A 3 ergò

ergò in tanta imperfectione constitutus homo quæcunque homine digna perficere prohibetur, summâ felicitate frui nequit. Accedit insuper, quòd ut mors summum æstimatur malum, ita, quòd quid propius ad naturam eius accedit, tantò censetur deterius. Ergò, cum mortem, ut dictum, similitudine quadam somnus referat, nã, summo malo similis æstimabitur; cum summo proinde bono minimè consistens. Non ociosi. Ocium enim, ut omnibus vitijs viam sternit, sic præcipitium est, in omnis generis calamitates ociosum dejiciens. De calamitate pòst.

VII. 8. *Μὴ βίαιον*, ne sit violentum. *Ethic. 3.* violentum. hoc in loco aliquid dicitur ex acquirendi, & operandi modo: id scilicet quod per vim, atque fraudes acquiri, easdemque rursus exercere, & generare potest. Nam, si effectus naturam causæ suæ arguit, certè violentia, quæ bonis connumerari nequit, causis generabitur non bonis; effectus ex se producet itidem non bonos. Quapropter, summum bonum à violentia, tam ut à causa, quàm ut effectu oportet esse alienissimum. Ex horum *εὐδαιμονίας προσκειμένων* collectione talis emerget illius descriptio: felicitas est bonum non violentia, sed hominis labore, ac industria comparatum; ideoque in eius, cui competit, potestate situm, propter se expetibile, seipso contentum, atque perfectum, sui communicativum, & difficulter mobile.

II.

*Hoc summum bonum est actio secundum
virtutem optimam, & perfectam
in vitâ perfectâ.*

I. Altera hæc est quæstio, qua, *quanam* sit ista modò descripta felicitas inquiritur. Extiterè olim, hodieq; existunt tot ferè opiniones, hac de re, quot hominum capita. Nullus enim, qui non suo in cerebro ultimum quendam, pessimum sæpè, finem, ac scopum omnium suarum actionum præfixum habeat: unde factum, ut *Piccolomineo* referente *grad. 9. cap. 4.* Varro ducentas octuagin-

Et uaginta octo numerarit sui temporis de summa felicitate opinionones. Præcipuè tamen hodieq; ad eas reduci videntur classes, ad quas suo tempore Philosophus reduxit. Sunt enim alij homines ἀπολαυστικοὶ voluptarij, vitam ducentes voluptatis unice studiosam, quo in genere familiam ducit Epicurus, & de grege illius porci. 2. χαρίεντες καὶ πρᾶκτικοὶ, qui honores vel maximè venantur. 3. θεωρητικοὶ, in contemplando occupati. 4. χρηματιστικοὶ opibus inhiantes. Illi voluptatem, isti honores, hi opibus, aut contemplationem summam felicitatem ducunt. Quibus quinta opinio addi poterit, Stoicorum, virtutis habitum in bonorum fastigio collocantium.

II. Ut veritatem venando comprehendamus, hoc utemur progressu. Ἐδαμονία vel est voluptas, vel honores, vel contemplatio, vel virtutis habitus, vel divitiæ, vel deniq; actio secundum virtutem. Quæ propositio ideò sufficiens censeretur debet, quia præter recensitas nulla insignis circa præsens ζήτημα existit opinio.

III. Atqui VOLUPTAS non est summum bonum, probatur. 1. Non est ἀγαθὸν δυσσφάειρον. Voluptas alia ex virtutum actione efflorescit, cujus constantia tanta est, quanta suæ originis, hoc est, constantissima: alia ex eorum, quæ corpus suaviter afficiunt, fruitione exurgit. Illa hominis propria; hæc ipsi cum brutis communis. Illa constans; hæc inconstans, & evanida; quod quidem jamdudum reddidit probatum experientia, imò vel sensus satis luculenter confirmant: cum præsertim tot calamitatibus homo subjiciatur, quæ voluptatem perfacile interturbent, vel omninò sustollant.

IV. 2. Non acquiritur per solum hominis laborē ac sedulitatē. Id quod similiter nō de voluptate virtutis filia, sed bruta illa, sensusq; afficiente intellectum volumus, quæ ex bona corporis constitutione, & valetudine, bonis fortunæ, &c. dependet: qua ratione modò per incertos fortunæ casus; modò per fraudes, omnisq; generis malas artes, & alios deniq; modos minus honestos ad voluptatem pervenitur. Unde malis læpius benè esse, at bonis hæc voluptates si æstimes; malè cernimus. 2. Est βία-όνη. 1. origine, dum violenter, hoc est, per vim, ac fraudem ad
cam

tam pervenitur. 2. operatione; nam haud rarò voluptas vim
proximo, per se ipse, qui ea fruitur exitiū infert. *Prov. 14, v. 13.*
V. HONORES itidem non sunt summa isthac beatitudo.

I. Quia non *ὀμείτοι*, *1. Eth. 3.* utpote honorantis potius, quàm ho-
norati. Honor ambigüè dicitur. 1. fundamentaliter ipsa virtus,
quam umbræ instar sequi solet honor. 2. Interna cordis reve-
rentia, qua magni aliquem facimus ob benefacta, & virtutem.
3. Externa hujus reverentiæ significatio, seu, definitore Philo-
sopho *1. Rhet. 5. σημεῖον ἐνεργητικῆς δόξης.* Primo significatu ho-
nor est honorati. Secundò ex parte honorati, quatenus is virtute
sua hanc causatur, & hanc benevolentiam, sive existimationem
vel ab invito extorquet: ex parte verò honorantis, prout ipse ma-
gni facit, ac æstimat virtuosum. Tertiò deniq; solius honoran-
tis, qui solus animum suum quocunq; externo modo exponit, se-
que magnificè de hoc sentire publicè declarat. Primi ergò signi-
ficatus honor non est summum bonum, uti post videndum. Se-
cundi: quia ex parte tantum, & fundamentaliter saltem in pote-
state honorati consistit. Tertij; quòd nulla ratione sub potesta-
tem honorati cadit.

VI. 2. Altera hinc emergit ratio. Honores, utut sint bonū; at-
tamen non *δυσαιφάρετον*. 1. dum quis interdū honoratur, inter-
dum nō honoratur. 2. à quibusdam honoratur, à quibusdā non
item. 3. hominum affectio tam erga virtutē, quàm personā vir-
tuosi facili momento mutatur, præter meritum sæpè: quòd cum
fit, collabascit, & evanescit honor. 3. Neq; *δι' αὐτῆς ἀγαπητοί*:
propter se expetibiles. Nam & ij, qui honores sectantur, idè se-
ctantur, ut hac ratione virtute videantur præditi; clarè ostenden-
tes, potiozem sibi virtutis, quàm honorum esse rationem. *Arist. 1.*
Eth. 3. 4. Tertia hinc dependet probatio: non posse hominis in-
dustria, eaq; sola comparari. Etsi enim fructus honos oneris; ho-
nos tamen in immeritos nonnunquam propter opes, potesta-
tem, vel qualemcunq; externum splendorem confertur. Imò
laudabilis hominum industria multos honoribus, quibus erant
præditi, privavit, etsi per accidens.

VII. IDEARUM CONTEMPLATIO non sunt quam quærimus,
εὐδαιμονία. Duplex agnoscimus cum Aristotele bonū, *θεωρητικόν,*

ἡγή

ἡγή πρ
losoph
Platon
duplic
nulla
de ide
videri
sentian
intellig
na proc
quem v
primo
bonitat
lum ali
IX.
riorem
scere. I
rationes
1. Platon
2. Eciam
datur fru
strat 1. E
econtra
IX.
fundame
causa, ex
μονία ὁ
γεία ὁ
potest oc
mam con
propter
tus est, se
robustis
enim no
qui virtu
X. N

καὶ πρακτικόν: unde εὐδαιμονίαν non immeritò ex ipsiusmet philosophi sententiâ 10. *Eth.* in contemplatione collocamus Interim Platoniarum idearum contemplationem bonum istud negavit, duplici ductus ratione. 1. quia tales nullæ sunt ideæ. 2. quòd boni nulla detur vel ipsius Platonis iudicio idea. Quæ fuerit Platonis de ideis sententia non est, quod hoc loco operosius expendatur: videri poterit latè ista diducens *Piccolom. grad. 9. cap. 23. sq.* Plurimiq; sentiunt; Platonem cuiusvis entis æternam aliquam in mundo intelligibili constitutam docuisse ideam, à qua huius mundi bona prodeant, suamq; originem ducant. Cùm hac verò idea quemvis per contemplationem conjungi, eaq; frui posse: cum primo autem, & summo bono conjungi, & ejus consortio, & bonitate frui, tale, tantumq; bonum meritò iudicatur, quo nullum aliud melius.

II. Nos equidem, si Theologicè loquendum, nullam superiorem agnoscimus felicitatem, quàm Deum, ἀγαθόν cognoscere. *Ioh. 17. v. 3.* interim philosophicè loquentes Platonicum ob rationes Aristotelicas, tùm ob has etiam astipulari non possumus. 1. Platonicum bonum ἡ δὲ πρακτικόν, ἡ δὲ κτητικόν ἀνθρώπων. 1. *Eth. 4.* 2. Etiam mali speculari valent ideæ. 3. Per speculationem non datur frui bono, quod speculamur, uti copiosè Aristot. demonstrat 1. *Eth. 4.* 4. Bonum quærimus practicum; contemplatio econtrà speculativa.

IX. Neque VIRTUTIS HABITUS est felicitas. Equidem, fundamentaliter virtus est summum bonum, tanquam proxima causa, ex qua immediatè exurgit. Formaliter tamē nō est ἡ εὐδαιμονία οὐκ ἐν κλήσει, ἀλλὰ κτήσεως δευτέρας: οὐκ ἐν ἔξει, ἀλλὰ ἐν ενεργείᾳ δευτέρας. 1. *Nicom. 8.* quod hæ rationes convincunt. 1. Virtus inesse potest ocioso, aut dormienti, ut pater; quorum tamen neutri summam competere felicitatem, ex superius dictis constat. 2. Non propter se expeditur. Non enim virtutem desideramus, quia virtus est, sed quia laudabiles parit effectus. 3. Ut in Olympicis non robustissimi, & pulcherrimi coronantur, sed qui decertant; ex his enim nonnulli vincunt: sic ex honestis, iis felicitate frui datur, qui virtutem in commodum suum, ac proximi verterunt:

X. Neque DIVITIÆ. Ratio. 1. Non propter se quæritur, sed
ejus,

es, quem in vita præstant, usus gratia: *χρησιμον γδ καὶ ἀλλυ
χάρι. 1. Eth. 3.* 2. Est bonum *βίαιον*: notum enim, nil magis
fraudibus, vi, & imposturis comparari, quàm divitias: nil etiam
his, aliisq; violentiis magis servire, quàm opes. 3. Facile auferun-
tur. Neq; hic probatione opus: quid bella, quid incendia, quid
furta, ac rapinæ aliæq; infortunia valeant, plus satis constat. *το ὅ
μέγιστον, ἢ κάλλιστον ὀπιτρεῖται τῇ τύχῃ, λίαν πλημμελές. 1. Eth. 10.*

XI. Restat proinde, ut καὶ ἄρσιν enumeratarum specierum
tandem perveniamus ad Θεσιν, summum bonum statuentes A-
CTIONEM VIRTUOSAM. Hæc Aristoteles est sententia, quam, ut
exponamus, singula definitionis membra seorsim expendemus.
Et primò quidem, cur actio secundum virtutem dicatur, rationem
philosophus reddit. 1. *Nicom. 6.* ostendens, unumquodq; sua opera-
tione perfici, & absolvi: cum verò homo non ociosus in naturâ,
oportet sua quoq; propria operatione perficiatur. Hæc autem
non est corporis actio; utpote quæ brutorum etiam, & planta-
rum, imò inanimatorum quorumcunq; Ergò animæ: quæ rursus
duplex: communis, vegetans puta, & sentiens: & propria: pro-
fecta nimirum à facultate intellectiva. Porro: hæc nonnunquam
agit, ut appetitus ductui obtemperans; aliàs, ut secundum pro-
prium sui perfectionem operans: id quod rectius fieri haud pot-
est, quàm si mens virtutem imbuta agat. Atq; hanc summam esse
felicitatem, probat *Aristoteles 1. Mag. Mor. cap. 4.* Benè vivere, in-
quit, & benè agere, nihil est aliud, quàm felicem esse. Ergò &
feliciter agere, & felicitas in vivendo est: verum benè vivere est
in eo positum, ut secundum virtutem vivamus: hoc igitur est fi-
nis, & felicitas, & optimum. In usu itaq; sit, necesse est, & actio-
ne felicitas. Ideò non sufficit virtuosa agere, sed virtuosè, seu, se-
cundum virtutem, tanquam regulam & normam. Is ergò mini-
mè felix, qui ex defectu cibi, ac potus temperanter vivere cogi-
tur: sed qui in rerum omnium affluentia moderatè ijs utitur,
non alia de causa, quàm, quòd virtus hoc jubeat, sibiq; propter
virtutem ita placeat.

XII. Secundum virtutem perfectum. Variæ hîc cernuntur o-
piniones autorum. Quidam sapientiam, alij justitiam, pruden-
tiam &c. hanc perfectam virtutem judicant. Planissima tamen &
definitio-

definitio
hisce the
tione sui,
& perfect
una hunc
perfectar
um quod
fortis erat
liberalis,
mans ergo
& justitia
fortitudin
aliquales,
res habet,
lam virtu
& cæteris
1. Eth. 6. a
tw. Et, u
una positã
enim in id
ctur, alio
men nisi al
bonum, nu
tatum cæ
moderame
Ethic. 7. qu
XIII. 2.
est summu
hujus tantu
cur cæteris
fictum nihil
lantur cæte
πρώτως, pr
quid virtu
unoquoq;
in eodem

definitioni convenientissima videtur sententia quam duabus
hiscetheſibus comprehendimus. 1. Virtus hic non æſtimatur ra-
tione ſui, ſeu formaliter, & abſtractè, quænam per ſe præſtantior,
& perfectior alterâ? ſed ratione ſubjecti. Conſtat enim virtute
una hunc, alia alterum quempiam excellere; & virtutem unam
perfectam eſſe, atq; completam, in eo, qui cæterarum vix initi-
um quoddam, ſeu primum fundamentum jecit. V. C. Simſon
fortis erat, ut virtuoſus hinc meritò diceretur: attamen, fueritne
liberalis, juſtus, remperans, prudens, non perinde liquet. Æſti-
mans ergò virtutes in ſe, prudentiam fortitudini præfero, ſicut
& juſtitiam: dum verò easdem in Simſone intueor, majoris facio
fortitudinem, quàm juſtitiam, vel prudentiam: ſiquidem has vix
aliquales, at illam perfectam deprehendo. Et ſic in omnibus ſe-
res habet, ut ſummum bonum actionem cenſeam ſecundum il-
lam virtutem, quam in hoc ſubjecto multis actibus corroboratam,
& cæteris præ eminentem video. Atq; hoc voluit Ariſtot. quando
1. Eth. 6. ait: *εἰς τὴν πλείους ἀρετῶν, κατὰ τὴν ἀρίστην, καὶ τελειοτά-
την.* Et, ut inſpergatur obiter, non ita connectuntur virtutes, ut
una poſitâ omnes in gradu perfecto, ac completo ponantur: Eſi
enim in idea verum ſit, unamquamq; virtutem alteri, cui conne-
ctitur, aliquid afferre ſplendoris, atq; perfectionis, in reipla ta-
men niſi aliter eveniret, nullum uſpiam reperire liceret, vivum
bonum, nullam virtutem perfectam. Hic ergò qualiſcunq; vir-
tutum cæterarum inchoatio, & inchoatum ſaltem affectuum
moderamen ſufficiet. Vid. Piccolom. grad. 4. cap. 39. cell. con. diſput.
Ethic. 7. queſt. 4.

XIII. 2. Cujusvis virtutis, ſive moralis, ſeu intellectualis actio
eſt ſummum bonum: ſcil. cùm perfecta ineſt homini. Nam 1. ſi
hujus tantùm, vel alterius virtutis actio ἀρετῶν τῶν ἀγαθῶν,
cur cæteris virtutibus operæ quid impendim⁹, ſi ad finem propo-
ſitum nihil faciunt? ſit juſtitia perfecta virtus, ane huic famu-
lantur cæteræ? haud arbitror, eſt enim quævis propter ſeiſam
πρώτως, propter exornandam aliam δεύτερως ſaltem. Ex quibus,
quid virtus perfecta dicatur, facile conſpicitur: quæ nimirum in
unoquoq; homine perfecte acquiſita, cõfirmata omnibus cæteris
in eodem ſubjecto præeminet. Diſſentit Picc. grad. 9. cap. 28.

XIV. *In vita perfecta.* Vita duplici modo perfecta nuncupatur. 1. ætate, & opponitur pueritiæ, estq; vita virilis, seu ἀκμῆα; quam flagitat Arist. 1. Mag. Mor: cap. 4. εἰ γὰρ εἶναι ἐν παιδί (εἰ γὰρ παῖς εὐδαίμων) ἀλλ' ἐν ἀνδρὶ; εἴτε γὰρ τέλει, & ratio datur; quia perfecto rationis usu est opus, quo pueri, & qui ἀκμῆν nondum attingere destituuntur. 2. duratione, seu tempore; nec enim unica actio beatum efficit (si nimirum defecerit, & actiones virtuosas neglexerit.) μακάριον γὰρ, καὶ εὐδαίμονα μία ἡμέρα εἰ ποιεῖ, εἰ δὲ ὀλίγον χρόνον. 1. Eth. 6. sed constantia requiritur, & perseverantia ad vitæ usq; terminum: hos enim ponit limites Aristoteles 1. Mag. Mor. 4. ἐν χρόνῳ τελείῳ. Τέλει γὰρ ἂν εἴη χρόνον, ὅν ἀνθρώπων βιοῖ: ut hinc beatum non iudicet, qui in extremo vitæ feliciter actæ termino miser evadit. 1. Ethic. 10. Sic ergo felicitas est constans virtutis operatio a primo virilis ætatis tempore, ad extremum usq; vitæ halitum continuata.

III.

Ex dictis quinque emergunt πορίσματα, presentem materiam, & definitionem expositam declarantia.

I. Primum est πόρισμα; nec pueros, nec bruta summi boni esse capacia. Quod quidem ad bruta, dubium hæc movet ratio; cum cuiusvis agentis certus sit quidam finis; & verò brutorum suæ sint operationes, eaq; sibi subordinatæ; in quibus ne in infinitum procedatur, in aliqua subsistendum, quæ non sit propter aliam; propter ipsam verò ceteræ; quæ finis ultimi, adeoq; summi boni rationem habet. Resp. 1. Si talis est finis ultimus, diversi tamen erit generis, & ἀναλογία saltem qualicumque propriè dictæ felicitati respondebit. 2. Deinde; in ijs, quæ sine ratione agunt, dantur fines, ijq; subordinati, ipsis tamen agentibus sæpè incogniti: cum sufficiat, primum movens horum finium nosse bonitatem, ac subordinationem. Quapropter; etsi finem ultimum assequantur bruta, is tamen; εὐδαιμονία non erit, quatenus ipsius bonitate, ut.

te, utpote latente, frui nequeunt. Nam, eadē collectione plantarū,
imò cœli omniumq; inanimatorum generibus suam felicitatem
assignaturi essemus: siquidem & horum sunt actiones, & actio-
num fines, & finium subordinationes. *Puerorum* paulūm alia est
ratio. His enim non omninò denegatur felicitas; sed κατὰ τι so-
lūm; quòd actum puta, non verò δυνάμιν. Ideò Philosophus
non naturæ puerorum, sed illorum ætati, ratione cujus secundū
virtutem agere nondū sunt apti, denegat: addit enim: *Ναὶ ἡ τὴν*
ἐλπίδα μακαρίζονται. 1. Eth. 10. Brutis autem hæc denegantur ob
naturæ, non ætatis, aut aliū cuiusdam accidentis conditionem.

II. *Secundum est: ante mortem verè homines esse beatos.* Duo hoc
loco concurrunt probè distinguenda, 1. esse felicem: 2. pronun-
ciari felicem. Quantum ad hoc: censetur & pronuncia-
ciatur quis felix à felicitate intensivè considerata, vel extensivè.
Respectu prioris felicem dicimus quemcunq; secundum virtu-
tem agentem: at posteriore non nisi finaliter in hac prosperitate
perdurantem: secundum illum ante obitum quemvis virum bo-
num: juxta hunc verò neminem tutò beatum dixeris, nisi post
fata suprema: non quòd sit, sed quòd fuerit beatus. Atque hæc si
fuit Solonis sententia, benè habet: aliàs absurdum est, mortuum
censere beatum (civiliter) qui tamen agere desit. Et, si beatus
verè appellatur ab antea cœ vitæ felicitatem; quidni etiam tunc
id verè dici poterat, quod ipsi inerat. Hinc porro cernitur, quid
de prioris statuendum. Etenim: si beatus quis verè dicitur ante
mortem; talis utiq; & re ipsa erit: *λόγοι γὰρ ἀληθεῖς, ὡσπερ τὰ*
περάγματα. Cum hoc tamen discrimine, quòd, qui felix non
modò vivit, sed & moritur; ἀπλῶς est felix etiam ante mortem;
at non dicitur? illud: quia revera secutus est finis optatus. hoc;
quia finis iste prosper ac felix nos fugit, ac latet. *Vide Arist. 1. Eth. 10.*
Alius κατὰ τι.

III. *Tertium: Virum bonum beatum etiam tunc esse, quando variis*
fortune casibus agitur. Fortune casus, hoc est, prosperitates, &
calamitates non sunt uniusmodi. Vir bonus pessima sæpè patitur
tantūm propter virtutem hominibus exotam: adversus quæ haud
aliter ac palma ad onera assurgit virtus, hancq; consequens feli-
citas; non depressa, sed clarior, splendidiorq; reddita. Aliæ post-
modum vel bona fortune, vel virtuose agendi facultatem sub-
trahunt,

trahunt, uti sunt incendia, exilium, morbi, carcer & quæ felicitatem premunt, non opprimunt. Nam bona fortunæ requiruntur ad summum bonum, quippe rerum agendarum nervi; non quidem ut essentialiter ingredientia, verùm, ut ὄργανα, καὶ σωεργα, ut ministri, ut forinsecus Ὀδαμονίαν circumstantia, nec non clariorem, splendidiorēq; eandem reddentia. Vide Aristot. 1. Eth. 9. 10. 11. Acciaj. 1. Eth. cap. 10. Exilium & carceres vincula quasi virtutis omnibus etiam adminiculis, & necessariis stipatam non pariuntur ad actum & effectum prorumpere. Hoc scilicet est felicitatem premere, at, non tollere; eò, quòd animi promptitudo, virtutis alacritas, organorum ministerium, & summam omnem causam, omnia requisita stent in procinctu ad operandum promptissima. Atq; sic αἰδουσαργξίαι μήτε τῆς Ὀδαμόνας μή Ὀδαμόνας ποιεῖν, μήτε ἄλλο τῶν τοιστων μηδέν. 1. Eth. 11. Negligenda denique non videretur distinctio inter felicem, & beatum, cujus Acciaj. ad cap. 10. 1. Eth. mentionem facit: felicem nominans quemcunq; virtuosè agentem: beatum verò bonis insuper animi, corporis, & fortunæ affluentem; qualem Aristot. describit 1. Eth. 11. lib. 1. Mag. Mor. cap. 3. quo sensu per nullum adversæ fortunæ casum, à felicitate; à beatitudine verò potest derurbari.

IV. Quartum: *Defunctorum beatitudo posterorum infelicitate afficitur, non tollitur.* Non queritur de beatitudine animæ in altera vitâ; hæc enim nullius mali sensu turbatur, aut afficitur: sed civilis, & quidem, non qua defunctus nunc fruitur (omnis enim civilis beatitudo cum ipso expiravit) sed qua vivens adhuc perfruebatur. Verùm; quoniam hæc etiam quòad actum esse desit; nec poterit turbari, aut affligi actualiter: Igitur in hominum memoria superstes imputativè saltem afficitur: quo sensu felicitati patris non parum censemus subtrahi, cum filius degener labem nomini paterno aspergit, aut aliàs vitiis deditus omnis generis calamitates incurrit. Id tamen, quicquid horum sit, ἀφαιρέοντι, καὶ μικρόν censetur, quod felices non valet reddere infelices. 1. Eth. 10.

καὶ θεῶν δόξαι

ORN
ratif



Nam

Se

Quod

Sic sum

(Ut Po

Perpa

Ideas a

Doctri

Virtut

Ille dit

Et aur

Seiani

Honore

Hic se a

Natus

Tantur



ORNATISSIMO ATQUE LIBE-
ratissimo Dn. RESPONDENTI, Amico
& Contubernali suo melli-
tissimo.

Summum quisq; Bonum sibi expè-
tesit,

Summo quisq; Bono cupit fruisi.

Nam Natura sibi bene esse gestit.

Sed heu; millibus ex viris duo vix

Quod Bonum vocitent, sciunt, supremum,

Sic sunt omnibus in locis reperti

(Ut Poëta docet vetustiorum)

Perpauci, Bona vera qui tenebant.

Ideas alius Bonum vocavit:

Doctrinas alius Bonum putavit:

Virtutumq; habitum vocavit alter:

Ille divitias amavit amplas,

Et auri cumulum Mida nocentem:

Seiani nimios siti vit iste

Honores, Generis suiq; famam:

Hic se detulit otio gulonum,

Natus delia ponderosa zythi

Tantum educere ventre ructuoso.

It

*In sensus varios sopheri reflectunt.
Hic Bonum cupit hoc, & istud ille.
Tu, MARTINE, foves salubriorem
Mentem, dum stageraum ad emulatus
Virtutum comitaris actiones,
Inq; his vera bona esse collocata
Defendis ratione pertinaci.
Sic doctis satis optimè placebis.
Sed unum tibi seminabo in aures;
Non virtutis opus beat misellos.
Numa parerat equitate nullus
Regum: non tamen est beatitatis
Particeps solida, Cohors ut infert
Calva: Junge pro in bono bonorum,
Optimum Pietatis elegantiam.
Hac parit bona quaq; servat, auget.
Est enim Pietas ad omnia apta
Qua promittit & hujus & futuri
Seculi Bona:*

F.

Johannes Albinus Monach-
auracho--Fr.

Eidem.

SORS, inquieto læta negotio,
Injuriôsâ vertitur aleâ;

Nemo beatus, nemo felix,
Vulgus ait, meruit vocari.

Curre ad Gelones, ad mare Bosphorum,
Afrasq; Syrtes, aut Arabum freta;

Nemo beatus, nemo foelix,
Vulgus ait, meruit vocari.

Unguenta conchis funde capacibus,
Puer, corollas sparge rosaceas:

Fingant pavimentum Lyæi
Munera, Nectariusq; luccus.

Dùm floret ætas, dumq; viret genu.

Tuti nigrorum, dùm datur; ignium,

Ducamus ævum; non redibit,

Quod rapuit semel hora præceps.

Sic vulgus excors. Eripe te moræ,

Et dic beati quis titulum occupet,

MARTINE, quis Felicitatis

Summus apex, hominumq; meta,

C

Hoc

Hoc in theatro. Magna beatitas,
Bonumq; magnum est, si benè quis bonis
Assuescat à prima juventâ
Artibus, & studijs Minervæ.

Summa precatu bona acclamabat

Valentinus Ritter Gorl. Lus.

Aliud.

NUnquam tortilibus, missile, cornibus,
Doctus tendere vibrata, phalarica,
Emittit jaculum: nî prius arbitrum,
Præfixum teneat scopum.

Nec, si Pegaseo quis ruat alite,
Et cursu rapido, carceris immemor,
Victoris titulos, sertaq; frondea,
Palmis conspicuus, meret.

Ergo, quin potius summa Beatitas,
Quæ vitam tribuit semper amabilem,
Vestiganda venit; metaq; fortiter.
Prænsanda est volucris pede.

Hanc, MARTINE, tenes, tale sophismatum,
Retundens tetrica, es verius explicans,
Rejedis

*Rejectis nebulis, taliter ipsemet
Summum consequeris bonum.*
Joannes Steinbergerus Gorl. Luf.

Aliud.

Vinclo jugali quando maturam pater
Natam marito junxit, actutum studet
Reperire dotem, quam ampliare sedulo
Sponsis novellis præcipit, spe commodi.
Natura non secus, parens mortalium,
Larga est in omnes, cum sagaces sufficit
Mentes loco dotis, poliendas artibus.
Natura pectus ergò cum dedit tibi,
MARTINE, præparatum ad artes Palladis.
Rectè facis, quod illud excolis: licet
Ascendere alta est arduum, nomen tamen
Hinc laude clarescet magis tuum, domi
Et sic vigebis, gloriosus publicè.

Amoris ergò scrib.

Ambrosius Stübnerus Görll. Luf.

F I N I S.

Repositum dicitur in scripturis
...
Iohannes Stephanus Gollus

Albid.
Vincio iugis dicitur in scripturis
...
Iohannes Stephanus Gollus



Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



96.



Σὺν Θεῷ
 CITATIONUM
 HICARUM.
 II.
 De
 MO BONO.
 Wittebergensi Academia
 proposita
 RESIDE
 DLAO HUNNIO
 si: Fac.Phil.Adjuncto,
 SPONDENTE
 GRUNDMANNO
 huciensi Silesio.
 WITTEBERGÆ
 ica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

